



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

IX. Talayrando felicior fuit in Anglia Pileus Cardinalis. Nam cùm immensam auri vim collegisset variis modis, eam priùs Anglia eduxit quàm ipse exiret.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

insidias illi positas fuisse, non ob privatas opes, de quibus certò constare non poterat latronibus; sed ob publicas, id est, ob eas quas ex procuracionibus quæ Legatis debebantur, de quibus mox acturi sumus, probabile erat illum peperisse.

IX. Talayrando felicior fuit Pileus Presbyter Cardinalis Tituli sanctæ Praxedis, ab Urbano VI. Legatus in Angliam destinatus anno millesimo trecentesimo octuagesimo primo. Hic enim, ut Thomas Vvalsinghamus refert, cum immensam auri vim collegisset variis modis, recessurus aurum nec argentum post se nequaquam relinquere voluit, sed secum super summarios deferri fecit, ad tantam quidem summam quantam nunquam Anglia in taxa vel talliagio semel pendere consuevit. Præstat autem heic describere quibus artibus hic Legatus tantam auri argenti que vim collegerit, tanquam præcipitantibus fatis diripienda esset Anglia, seu jure id sive injuria fieret. Describit ista idem Vvalsinghamus his verbis: *Nam, ut asseruit, potestatem afferens inauditam, in brevi totum regnum ad ipsum consuere fecit pro diversis gratis impetrandis. Revera diversa diversis beneficia contulit; indulgentias quas Dominus Papa concedere solummodo consuevit, & ipse concessit, biennales, triennales. Confessionales literas quibuslibet solventibus gratanter indulgit. Ad capellanatum Domini Papæ tam possessionatos quam mendicantes admisi; nec aurum eorum respuit qui Notarij publici effici precabantur. Altaria quoque portatilia nulli pecuniam offerenti negavit. Quadraginta libras cum aliis donis Cisterciensium non repulit quum gratiosè concederet eis licentiam generalem vescendi carnibus extra monasterium indifferenter, ut in monasterio edere consueverunt. Excommunicatis gratiam absolutionis impendit. Vota peregrinationis ad Apostolorum limina, ad terram sanctam, ad sanctum Iacobum, non prius remisit quam tantam pecuniam recepisset quantam juxta veram estimationem in eisdem peregrinationibus expendere debuissent. Et ut cuncta concludam brevibus, nihil omnino petendum erat quod non censuit interveniente pecunia concedendum. Interrogatus autem in qua potestate hæc faceret, cum summa indignatione respondit se Romæ, si scire vellent ejus potestatem, omnibus responsurum. Tam jamque adeo referri erant argento ejus sacculi ut advenientibus ejus ministri respondere dedignarentur nisi aurum afferrent, dicentes: *Afferite nobis aurum. Argento enim vestro pleni sumus.**

CAPVT LI.

Synopsis.

I. Agendum in hoc capite de procuracionibus Lega-

torum. Procuracionis vocabulo intelliguntur cibaria qua debentur Episcopis visitantibus, ut docet etiam glossa. Inde procurare & exhibere. Gregorius VII. sumptus Legatis præberi mandavit. Hinc paulatim introductum ut procuratio eis solè cretury Alexander III. modum procuracionum præscripsit in Concilio Lateranensi.

II. Cum procuratio tribuebatur tantum in victualibus, modica erat. Dabatur Legatis lac ad bibendum, & non bibent ultra tertiam vicem. Sed ista abrogata esse adnotat Gambarus. Cardinales Legati sunt bonis & consuetis cibis procurandi.

III. Procuracionis vocabulum in eo sensu introductum erat desinente seculo duodecimo, ut præbatur duobus locis illustribus. De luxu & pompa Episcopi Elicensis in Anglia.

IV. Nihil illo modestiores erant ceteri Legati. Innocentius III. procuraciones Legatorum restrictit ad necessarias, causas querelarum amputare studens.

V. Frequentia Legatorum dedit occasionem huic constitutioni. Præscriptio longa non eximit à solutione procuracionum. Solum privilegium apostolica sedis hoc potest.

VI. Legati exigebant procuraciones ab eis etiam quos non visitabant. Et huic quoque malo modum aliquem ponere studuit idem Innocentius. Sed idem tamen hanc saluberrimam constitutionem evertit in sequenti clausula, permittens Legatis ut cum operaretur eos apud aliquem locum moram facere longiorem, procuraciones recipiant ab Ecclesiis & personis quas non visitaverint.

VII. Episcopi in Concilio Triburiensi congregati hunc agendi modum damnarunt in aliquibus Episcopis sui seculi.

VIII. Antiquitus ergo pecunia non exigebatur pro procuracione. Dein Legati exegerunt, specie levandis onera provincialium. Otto Legatus duae marcae argenti ab Ecclesiis conventualibus Angliæ exegit nomine procuracionis.

IX. Cum alius Otto in Angliam passus esset contradictionem propter procuraciones, Anglii respondentibus quod toties bona Ecclesia exhiberent Romana importunitas quod nullo modo amplius tolerarent, ad humilitatem religiosorum se converterit, & ab eis magnam pecunie vim exortu nomine procuracionis.

X. At non propterea destitit Otto ab exigendis procuracionibus. Misit enim mandata ad Archiepiscopos & Archidiaconos uti procuraciones in suis quinque locis nomine suo exigerent, & ad se mitterent.

XI. Cistercienses, qui per privilegia sedis apostolica exempti erant à solutione procuracionum; querelas adversus Ottonem suas detulerunt ad Gregorium IX. Papam. Is vero vetuit ab eis exigi procuraciones pecuniarias, cibus porro regularibus absque esu carnum contentus esse Legatus quandis apud illos esset.

XII. In Gallia quoque motus aliquos excitavit procuraciones Legatorum. Probatur ex epistola Innocentij IV. nondum edita.

XIII. Sub Clemente V. adeo intolerabiles erant procuraciones Legatorum ut se provinciales ab eis præstandis eximere studerent omnibus modis. Probatur ex factis virorum ecclesiasticorum dioecesos Helenensis. Contendebat Episcopus Helenensis se, cum esset de regno Aragonie, non teneri ad præstationem procuracionum Legatis in Franciam missis. Allegabat privilegium Innocentij quarti.

XIV. Eò processerat Legatorum aviditas ut se ita redderent in procuracionum exactacionibus onerosi quod